



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

Melanchthon, Philipp

Vuitebergæ, 1544

VD16 E 4532

Dominica Secvnda Post pascha. Iohannis X.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35272

DOMICA SECUNDA

Post pascha. Iohan-
nis X.

EGO sum pastor bonus. Bonus pastor
animam suam ponit pro ouibus,
Mercenarius autem, & qui non est pa-
stor cuius non sunt oues propriae, uidet
Lupum uenientem, & dimittit oues, &
fugit & Lupus rapit illas, & dispergit
oues, Mercenarius autem fugit, quia
Mercenarius est, & non sunt illi cura
oues. Ego sum pastor bonus, & cogno-
sco meas & cognoscor a meis. Sicut
nouit me pater, & ego agnosco patrem,
& animam pono pro ouibus. Et alias
oues habeo, quae non sunt ex hoc ouili,
& illas oportet me adducere, & uocem
meam audient, & fiet unum ouile, &
unus pastor.

LOCI QUATUOR
sunt praecipui.

- I politicum praecipuum, de discrimi-
ne gubernatorum.
- II Euangelica doctrina discernenda
a politica, de pastore Messia. Et
qualis pastor sit Messias.

Quid

III Quid sit Ecclesia.

IIII Quid significetur per ianitorem.

DE PRIMO.

INitio sciendum est ingens discrimen esse inter doctrinam politicam, & Euangelium, Sed tamen sumuntur ex politicis præceptis figuræ & similitudines, quia sunt notæ humanis iudicijs. Primum igitur discernamus gubernatores iuxta politicam doctrinam. Aut boni principes præsent, ut Augustus. aut Tyranni, ut Nero. aut ignavi, ut Honorius, id est, qui etiamsi tranquillis temporibus sunt mediocres, tamen referunt gubernationem tantum ad suam utilitatem, & seruiunt uentri, nec suscipiunt labores aut pericula ad defensionem suorum. Bonos principes nominat pastores. Tyrannos, prædones & fures, seu grassatores. Ignauos, uocat Mercenarios. Sic triplices sunt aulici, boni, ut Ionathas, Daniel. Perniciosi, ut Doeg, reliqua est magna turba ignauorum, qui in rebus secundis mediocriter seruiunt, sed pericula fugiunt, consulunt suæ utilitati &c. Hæc discrimina sunt & Ecclesiasticorum gubernatorum, Alij sunt boni, ut Ieremias, Paulus. Alij perniciosi, ut Heretici, & Episcopi ac Monachi defensores impiorum dogmatum, & impiorum cultuum. Ignauus, ut nunc multi qui mediocriter docent, sed metu

N S impe

DO MINICA SECVNDA

impediti non palam taxant errores, non dimicant cum aduersarijs, non audent ingenue profiteri, quod sentiunt, sed formidant odia, exilia, cruciatus, ignominiam. Prodest autem hæc discrimina considerare, Primum, ut agnoscamus bonos gubernatores tum politicos, tum Ecclesiasticos, singularia Dei dona esse, ac Deo pro his salutaribus muneribus gratias agamus. Deinde ut quantum suo quisque loco potest, imitari bonos studeat, et poenas sceleratorum & ignuorum intueatur, ut sese ad timorem Dei, & ad diligentiam pro sua mediocritate excuscitet. Postremo exempla bonorum & malorum nos commonefaciant, ut Deum oremus ut faciat nos ministros utiles, gubernet ac adiuuet nos, nec sinat nos ruere, ac fieri pestes generis humani, & uasa iræ, ut fuerunt Nero, Caligula, Arius, Manichæus.

DE SECVNDO.

Dixi discrimen esse inter doctrinam politicam & Euangelium. Bonus princeps regit externam disciplinam suis consilijs, ac legibus, et preliatur cum opus est. Hæc officia tantum seruiunt presenti mortali uitæ, nec adferunt uitam æternam, nec mutant mentes.

Paulus impertit Euangelium, per quod inchoat Deus uitam æternam in mentibus, Sed tamen Paulus

lus tantum docet, non est uictima pro peccato, non est mediator propter quem Deus nos recipit, nec est is, qui dat Spiritum sanctum, et reddit uitam eternam. Imo diligentissime discernendi sunt omnes Prophetæ, Apostoli, & alij ministri, à Christo filio Dei.

Quamquam autem hi in sua uocatione sunt boni Pastores, tamen longe maius est munus pastoris Christi. Is non solum docet Euangelium, sed etiam est uictima pro nostris peccatis, est mediator propter quem æternus Pater nos recipit, & donat Spiritum sanctum credentibus, & inchoat in eis uitam æternam, Adest Ecclesiæ, & defendit eam mirabiliter, & resuscitabit mortuos. Quare alio modo intelligatur Pastor, quam ceteri boni principes, Prophetæ aut Apostoli. Sunt passim sapientes ignari Euangelij, sicut Mahometus & alij multi, qui de Christo cogitantes, imaginantur eum fuisse Doctorem quales multi fuerunt, ut Socrates, Solon & alij legumlatores, fingunt eum dedisse legem, sed propria & præcipua eius officia ignorant. Hæ tenebræ acerrime taxandæ sunt, & in Ecclesia illustrandum est, discrimen legis & Euangelij, Sunt & personæ discernendæ Prophetarum, Apostolorum, & Christi. Lex est doctrina præcipiens quales nos esse, quid face-

re &

DOMINICA SECUNDA

re, & omittere oporteat, & denunciatis aeternam iram & poenas propter peccata uniuerso generi humano. Sicut clare dicitur. *Maledictus qui non permanet in omnibus his, quae scripta sunt in lege &c.* Econtra Euangelium pollicetur agentibus poenitentiam, remissionem peccatorum gratis propter filium Dei mediatorem, & postulat huic, promissioni credi, & docet in hac fide Deo placere inchoatam obedientiam. Monstrat igitur Christum propiciatorem, propter quem inde usq; ab initio omnes electi intellexerunt se recipi in gratiam à Deo, Idco in textu omnes Doctores damnat, qui omissa doctrina promissionis seu Euangelij, traderunt legem aut cultus, omnes, inquit, qui ante me uenerunt, fures sunt & latrones. Omitte temporis imaginationem, cum ait, *Ante me*, sed intellige ordinem in docendo, quocumque tempore, ut sit, *ante me*, id est, me non praecunte. Omnes qui docuerunt legem non praecunte luce promissionis de Christo, fuerunt fures & latrones, ut Chaldei, Aegyptij, Baalita, impij Sacerdotes in Iuda, Pharisei, Saducei, Graeci, Romani docuerunt legem & cultus aliquos, sed non praelucente Christo. Hos omnes pronunciat Christus fures esse, & latrones, Non potest non perhorrescere pia mens, considerans hic damnari maximam partem generis
humani

humani, imo maximam partem eorū qui dominantur in Ecclesia. Constat Machometum esse furem & latronem, quia uenit non praeunte, non ducente Christo. Retinuerunt nomen Christi Pontifices & Monachi. Sed obruerunt doctrinam de fide in Christum, dixerunt homines mereri remissionem peccatorum proprijs operibus, dixerunt eos posse legi satisfacere, & lege iustos esse, sed tamen semper dubitandum esse. damnant uocem Euangelij, quae iubet credere, quod propter filium Dei simus iusti, id est, accepti. Hoc est etiam uenire, nō praeunte Christo. Addantur exempla de ceteris crassioribus erroribus. Dicunt sacrificulos in missa offerre filium Dei & hoc opere mereri populo remissionem peccatorum, Hoc certe est non praeunte Christo uenire.

Econtra nos sciamus omnes pios Doctores in Ecclesia inde usque ab initio, Adam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Dauidem, Esaiam, & similes non tantum de lege concionatos esse, sed etiam de Euangelio, & inculcasse ac illustrasse promissionem de uenturo semine, sicut Psalmi & conciones Esaiæ, clarissime testantur Messiam futurum uictimam, propter quam Deus sit propicius, & reddat iusticiam & uitam æternam. Præit autem Christus dupliciter, Euangelio seu doctrina, & efficacia.

Cum

DOMINICA SECUNDA

Cum audimus promissionem seu uocem Euangelij, amplectimur donatam remissionem peccatorum fide. & cum fide agnosceimus Christum, ipse uere est efficax, dat Spiritum sanctum, & inchoat in nobis nouam lucem. At e contra ubi ignota est promissio, non potest oriri fides, nec accipi remissio peccatorum. Et ubi ignota est promissio Christi, non est efficax Christus, non dat Spiritum sanctum. Sicut clare testatur hac uox Apostolorum. Non est aliud nomen in quo oporteat saluos fieri &c. Mahometus etsi legis doctrinam de externis moribus retinet, tamen prorsus abiicit promissionem, seu Euangelium, negat filium Dei esse redemptorem, iubet dubitare singulos an placeant Deo, prorsus ignorat lucem fidei. Ideo nec remissionem peccatorum, nec Spiritum sanctum accipit, sed manet in morte, sicut Baptista inquit. Qui non credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum. Ex hac distinctione legis & Euangelij, ministrorum & Christi, membra textus sunt planiora, Christus est pastor bonus, non solum ut Paulus docens Euangelium, sed etiam quia ipse est uictima, redemptor, mediator, dans Spiritum sanctum & uitam eternam. Ideo dicit. Ego ueni ut uitam habeant. Ceteri qui tenent titulos Pastorum Pharisaei & Saducei sunt fures, latrones, Et qui-

dem

dem in populo saniores, tamen mercenarij sunt, id est, ignaui, non suscipiunt pericula confessionis, Imo sine auxilio Christi, hæc imbecilla natura in omnibus hominibus fugit crucem. Ideo dictum est: sine me nihil potestis facere. Ego sum Ianua, si quis per me ingredietur, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pabulum inueniet.

Per hanc Ianuam Christum, ingrediebatur Esaias, & saluabatur, ingrediebatur & egrediebatur, id est, primum accipiebat à Christo gratiam, Spiritus sancti dona, & postea alios docebat. Et pabulum inueniebat, donabatur sapientia, iusticia, & uita æterna.

DE TERTIO.

DE ECCLESIA, SEV DE
populo Dei.

Certissime persuasum erat Pontificibus & Sacerdotibus Iudaicis, sese esse præcipua membra populi Dei, seu uere Ecclesiæ, suum consensum esse ueritatem irrefragabilem, magna ex parte membra sui ordinis esse electos ad societatem beatitudinis Abrahamæ. Sicut nunc Pontifices, Episcopi, Canonici, Monachi, gloriantur se esse præcipua membra Ecclesiæ, suum consensum adfirmant esse ueritatem diuinitus lucentem, in Ecclesia. Et hoc consensu tumentur manifestos errores, interfi-
cunt

DOMINICA SECUNDA

unt pios, qui non probant ipsorum idola, ut Missas, inuocationem mortuorum, & alia portenta.

Itaq; necesse est pios moneri, quid sit Ecclesia, et quid sit coetus dissimilis ceteris politijs. Etiam si in regno præcipua membra sunt, Rex, Senatores, Duces, Principes, tamen Ecclesia non pendet ex his titulis, et successione ordinaria, ut uocant. Sed est coetus hominum amplectentium sinceram Euangelij doctrinam, & ei obedientium, cui coetui sunt admixti quidem mali, sed tamen de doctrina consentientes.

Definimus enim uisibilem Ecclesiam, nec fingimus Ideam Platoniam, ut quidam calumniose nobis obijciunt. Certe hoc confessione omnium sanctorum conceditur, pugnantes cum Euangelio, non esse membra Ecclesiae, siue uocentur Pontifices, siue Episcopi, siue aliter, quia Paulus aperte dicit. Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Non erant igitur membra Ecclesiae Caiphas, Sacerdotes, Pharisei, Saducei, & omnes alij, quicumque dissentiebant à Christo. Sed erant Ecclesia, Christus, Maria, Apostoli, & reliqui qui adsentiebantur Euangelio. Sic definit hoc loco Christus Ecclesiam. & oues cum sequuntur, & agnoscunt uocem eius. Item, noui meos, & agnoscor a meis. Et deinde, Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

Scio

Scio moderata ingenia ualde moneri auctoritate nominis Ecclesie, & ordinariæ potestatis: Ut autem pium est amare & uenerari nomen Ecclesie, ita necesse est discere, quæ sit uera Ecclesia, ac de uisibili loquor: certe, quæ gerit bellum cum Euangelio, nequaquam est uisibilis Ecclesia, ut constat ex multis testimonijs Euangelij, imo & Canonum. Si mouetur animus auctoritate tam honesti confessus Episcoporum & Doctorum, qui decreta faciunt, ut circumferatur & adoretur panis, ut mortui inuocentur, &c. magis moueatur his dictis. Fugite Idolatriam, Non habebitis deos alienos. Quid alienius est ab Ecclesia quam primo præcepto bellum indicere? Exhorrescunt pij hæc cogitantes.

Cum autem necesse sit singulos esse membra Ecclesie, nec salus sit extra Ecclesiam, discamus ueram & firmam doctrinam, de Ecclesia, quid sit & ubi sit & nos ad eam constanti pectore adiungamus & simul cum ea Deum inuocemus, & celebremus.

Et ut uisibilem Ecclesiam inde usque ab initio cogitamus, coetum Adæ, Seth, Enoch, Noe, Sem, Abrahæ & reliquorum, ita nunc uisibilem, coetum oculis queramus, id est, illos, qui amplectuntur uocem Euangelij, & non defendunt idola. In hoc coetu semper necesse est esse aliquos electos: iuxta illud, Quos elegit, hos & uocauit

○

Hoc

DOMINICA SECVNDA.

Hoc dictum continet grauiſſimam doctrinam, & dulciſſimam conſolationem. Teſtatur enim non querendos eſſe electos, extra hanc uiſibilem Eccleſiam, quæ eſt cœtus uocatus, id eſt, amplectens uocem Euangelij. Valet enim argumentum. Omnes electos uocari neceſſe eſt, id eſt, ad doctrine agnitionem & profeſſionem adduci. Ergo qui non ſunt in numero uocatorum, non ſunt electi.

Magna hæc eſt conſolatio. Nec de electione ſine uocatione cogites. Illi ſunt electi, qui uocati amplectuntur uocem Euangelij, & eam non abiiciunt ad extremum. Meminerimus ergo hoc dictum. Quos elegit, hos & uocauit, & uocationem magnificiamus, quod Dei uoluntate ad agnitionem Euangelij adducti ſumus, & illum cœtum uocatorum ſciamus eſſe ueram Dei Eccleſiam, in quo, cum fiat uocatio docendo, ſunt miniſtri recte docentes Euangelium, & recte adminiſtrantes Sacramenta.

Sic Eccleſia multis locis deſinitur. Ioan. 8. Oues meæ uocem meam audiunt.

Ioann. 15. Si manſeritis in me, & uerba mea manſerint in uobis, quod uolueritis petetis, & fiet uobis.

Ephēſe. 2. Eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei, extructi ſuper fundamentum Prophetarum,
& Apo

et Apostolorum, existente lapide angulari Iesu Christo.

Et Esaie 59. Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus. Spiritus meus qui est in te, et uerba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui in sempiternum. Haec promissio et adfirmat mansuram esse Ecclesiam Dei, et docet coetum esse uisibilem, in quo sonat uerbum traditum per prophetas. Et ibi inquit certo est efficax Deus, dat Spiritum sanctum. In eo numero sunt aliqui electi.

Has sententias teneamus infixas animis, ut sciamus uere aliquam esse Ecclesiam Dei, et nos ad eam adiungamus, et cum ea Deum inuocemus, in agnitione filij eius Iesu Christi.

Ubicunque es siue in mari, siue in carcere, siue inter Turcas, siue inter Ethnicos, tamen animo, uoluntate, professione, inuocatione coniungito te cum uisibili coetu, id est, cum amplectentibus puram Euangelij doctrinam, ubicunq; sunt, Noribergae, Vratislaviae, Lipsiae, et ubicunq; sonat uox Euangelij pura. Et eum coetum ubi poteris foueto, et eius coetus studia mediocribus officijs adiuuu, et concordiam eius tuearis, sicut praecipit Christus, Hoc est mandatum meum, ut diligatis inuicem. Item, Qui in dilectione manet, in Deo manet.

DOMINICA SECUNDA

Amplexus doctrinam ueram, ita manebit in Deo, si etiam in dilectione manserit, id est, si propter Deum studebit uerae Ecclesiae concordiam tueri, non ambitione, aut alijs prauis adfectibus mouebit certamina, quae distrahunt uoluntates gubernatorum aut populi.

Nec ita uiuamus, uelut, erronei, aut solitarij, ignorantes, an simus in Ecclesia, aut in qua Ecclesia, esse uelimus. Sed simus, ut Paulus praecipit, συμπολιταὶ ἁγίων καὶ δικαίων τοῦ θεοῦ. Cum Ioseph abductus esset in Aegyptum, tamen erat συμπολιτικῆς Ecclesiae sui Patrii Iacob, & in Aegypto multos ad societatem eius ciuitatis adiunxit.

Si sumus in Ecclesijs, in quibus sonat pura uox Euangelij, agamus Deo gratias, laetemur esse aliquos coetus uere inuocantes Deum, agnoscamus magnum esse beneficium, quod una sumus, ut in Psalmo dicitur. Quam dilecta tabernacula tua Domine, Beati qui habitant in domo tua. Et Christus inquit, Vbi duo aut tres congregati erunt in nomine meo, in medio eorum sum. Quantum bonum est uersari in tali coetu, quem scias Deo curae esse, a Deo custodiri &c. ut in Psalmo dicitur, Deus in medio eius.

Id de coetu cogites, quoties uenis in tale templum, in talem scholam, et confessum, ubi sonat uox Euangelij

gelij pura, & non defenduntur pertinaciter errores. Et una cum hoc cœtu Deum inuoca, professionem declara usu Sacramentorum, & honestis officijs omnibus, & foueto concordiam. Sin autem procul abes, animo, uoluntate, professione, inuocatione te ad illos pios cœtus recte docentes adiungito.

IIII.

DE IANITORE SEV

Hostiario.

IN similitudinibus non nimis anxie singularum partium adplicationes querenda sunt, sed in summa cōgruere satis est præcipuas partes, Ideo hic omitti allegoria Ianitoris posset. Sed tamen non uitupero diligentiam eorum, qui eam tractarunt.

Aliqui Ianitorem intelligunt Spiritum sanctum, qui cum sit efficax in predicatione Euangelij, aperit Christo mentes hominum, & eas accendit, ut hunc pastorem agnoscant, sequantur, et ament. Hæc expositio plana & expedita est.

Altera expositio mihi non displicet, & si obscurior est, intelligi Ianitorem Legem, quæ cedit unâ Christo. Tenet lex inclusum totum genus humanum suo carcere, maledictione, hoc est, ira Dei, condemnatione, morte, calamitatibus omnis generis, tyrannide Diaboli. Cum autem Christus superat mortem, & soluit pro nobis λύτρωσιν, cedit Lex, maledic-

○ 3 cens.

DOMINICA SECUNDA

*eens, & oues emisse ex carcere, iam lætæ pastorem
& ducem sequuntur.*

DOMINICA IUBILATE EVAN-
gelium Ioan. XVI.

Dixit Iesus discipulis suis: Modicum
& non uidetis me, & iterum mo-
dicum, & uidebitis me, quia uado
ad Patrem. Dixerunt ergo quidam ex
discipulis eius inter se: Quid est hoc, quod
dicit nobis, modicum & non uidetis me,
& rursus, modicum & uidebitis me, &
quia ego uado ad Patrem? Dicebant er-
go: Quid est hoc, quod dicit, modicum?
Nescimus quid loquatur. Cognouit au-
tem Iesus, quia uolebant ipsum interro-
gare, & dixit eis: De hoc quæritis inter
uos, quod dixi, modicum & non uidetis
me, & iterum modicum, & uidebitis me.
Amen amen dico uobis, plorabitis & fle-
bitis uos, Mundus contra gaudebit. Vos
autem contristabimini, sed tristitia uestra
uertetur in gaudium.

Mulier cum parit, tristitiam habet,
quia uenit hora eius, cum autem pepe-
rit puerum, iam non meminit pressuræ
propter